

176 PHARMACOPOEA MATRITENSIS.

Misce, & cum albumine ovi, & parum aquæ rosarum agitentur, ut fiat pulmentum, quod in stupis cannabinis extendatur, temporibus & fronti admovendum.

Ad fluxiones in aures, & oculos sistendas valet; ac narium hæmorrhagiis confert.

FRONTALE ANODINUM.

R. Pulveris Florum Nymphææ, }
Rosarum Rubrarum, } ana drachmas duas.
Unguenti Populeonis, . . . unciam semis.

Cum sufficienti olei Solani quantitate fiat linimentum, quod extensum in stupis cannabinis fronti, & temporibus applicetur.

Ad capitis dolorem, fervoremque mitigandum, & somnum conciliandum, valet.

CAPUT XXIII.

DE CUCUPHIS, ET SEMICUCUPHIS.

Cucupha est medicamentum siccum, seu tegumentum capitis, ex cephalicis magis odoratis, quæ in pulverem redacta, & gossipio excepta in pannum sericum interponantur.

CUCUPHA ROBORANS.

R. Iridis Florentiæ, . . . }
Santali Citrini, . . . } ana unciam semis.
Caryophyllorum, . . . }
Macis, . . . } ana drachmam unam.
Benzoini, . . . }
Styracis Calamitæ, . . . } ana drachmas tres.

Florum Roris Marini, . . . } ana drachmas sex.
 Stœchados, . . . }

Fiat omnium pulvis, qui excipiat bombace ad Cucupham capiti applicandam.

In capitis doloribus ab intemperie frigida natis, confert: calorem namque nativum roborat.

Nota, quòd dum capitis pars anterior, vel posterior, dextra, aut sinistra dolet, tunc ex eisdem pulveribus semicucupha paratur, quæ parti affectæ erit adhibenda.

CAPUT XXIV.

DE SCUTIS.

Scutum est medicamentum solidum ex emplastris, balsamis, & aliis factum, & super alutam extensum, ac formam Scuti referens.

SCUTUM STOMACHICUM.

R. Emplastri Mastiches, . . . } ana unciam semis.
 Olei Mariæ, . . . }

Misce optimè, & super alutam extendantur ad Scuti formam, irroretur guttulis essentiæ Menthæ, & pulveribus aromaticis rosatis secundum artem.

Ad ventriculum frigidum, & imbecillum calefaciendum, & roborandum valet.

EMPLASTRUM ASTRINGENS AD VENTRIS REGIONEM.

R. Emplastri Diaphoenici, uncias tres.
 Theriacæ Magnæ, unciam unam.
 Pulveris Mastiches, unciam semis.

Misceantur optimè, & super alutam rotundam extendantur, quod totius ventris regioni applicetur.

Z